ORIGENES
Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 169r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



de caelestibus nisi quis dicat de sole et luna et stellis
hoc posse sentiri. Et horum namque formas exprimere
gentilitas solet; sed quia moyses eruditus erat in omni
sapientia aegyptiorum. etiam ea quae apud illos erant
in occultis et reconditis prohibere cupiebat. sicut uerbi
causa ut nos quoque appellationibus utamur ipsorum
echaten quam dicunt aliasque daemonum formas quae
apostolus spiritualia nequitiae in caelestibus uocat. de quibus
fortasse et propheta dicit quia inebriatus est gladius
meus in caelo; his enim formis et similitudinibus inuocare
demonia moris est. his quibus talia curae sunt uel adre
pellenda uel etiam adeuitanda mala quae nunc sermo dei uniuersa
complectens simul abiurat et abicit. Et non solum idolum
fieri uetat sed et similitudinem omnium quae inter rectos et
in aquis et in caelo. Addit autem et dicit; non adorabis ea
neque colis ea; aliud est colere aliud adorare; potest inter
dum quis et inuitus adorare. Sicut cum nonnullis regibus
sanctos adulantes cum eos in huiusmodi studia deditos uide
rint adorare se simulant idola. cum in corde ipsorum cestum sit
quia nihil est idolum. Colere uero est toto his affectu et studio
mancipari. Utrumque ergo resecat sermo diuinus ut ne
que affectu colas neque speciae adores. Sciendum tamen est
quod cum decreueris praecepti huius seruare mandatum.
et omnes ceteros deos et dominos repudiare. et praeter